




2/2006

IDIBVS FEBRVARIIS

MMVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 28

FASC. 158

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 30.-

In ceteris terris CHF 37.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,  
C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium — Bankverbindung/institut bancaire:

Banque Cantonale de Genève, Quai de l'Île 17 — C. p. 2251 — 1211 Genève 2

Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,

Compte Z 3281.88.11 IBAN: CH18 0078 8000 Z328 1881 1 SWIFT: BCGEGHGX

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 30.-

Ausland/Etranger CHF 37.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich

Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:  
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition  
RVMOR VARIVS,  
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)  
[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)



Amicae et amici nostri!

Erat olim tempus, quo Graeci antiqui omnia, quae accidebant, numinibus deorum fieri putabant: Die Solem curru igneo cursum ab oriente ad occidentem regentem per caelum vehi, noctu Lunam idem facere curru argenteo, tempestatibus saevientibus lovem fulgura iaculari, tonitrus edere, terram imbribus vel grandinibus vel nivibus obruere. Etiam calamitatum causas deis assignabant: Terrae motus vel typhones vel inundationes a Neptuno, qui tridente terram concutiebat, effici; non aliter deos quoque solis vel lunae eclipses, eruptiones montium ignivomorum, pestes epidemiasque afferre.

Tum, saeculo septimo fere ante aetatem nostram, Mileti in Asia nova ratio mundi inspiciendi et explicandi ex oriente quoque (velut Babylone) scientias adhibens coepit. Inde scientias naturales quasi primordia cepisse dici potest. Philosophi vel homines docti causas naturales omnium phaenomenorum inquirere susceperunt, unum principium (Graece: ἀρχή) conicientes. Quod erat apud Thalem (circa 624-546 a.Chr.n.) aqua, apud Anaximandrum (circa 611-546) infinitum (Graece: ἄπειρον), apud Anaximenem (585-525) aër. Post tres Milesios multi alii quoque opera composuerunt, velut Pythagoras Samius (circa 570-480), Xenophanes Colophonius (circa 570-475), Heraclitus Ephesius (circa 540-480), Parmenides Eleates (circa 515-445), Democritus Abderites (circa 460-370) - ut nonnullos tantum inter clarissimos dicam.

Hi viri docti et cognitionis novorum cupidi 'philosophi naturales' vel 'praesocratici' appellantur. Eorum operum, quibus saepe titulus 'De rerum natura' (Graece: περὶ φύσεως), nihil nisi fragmenta relicta sunt. Apud Romanos poeta et philosophus T. Lucretius Carus carmen titulo 'De rerum natura' composuit.

Iam argumentum libelli 5+6/2006 vobis communicamus, ut satis temporis sit ad symbolas componendas et nobis mittendas:

**De rerum natura.**

De rerum natura, quae mater nostra dicitur, cuius secundum leges omnia in hoc universo eveniunt, cuius pars nos omnes animantes sumus, multa et varia scribi posse existimo, exempli gratia de mathematica, physica, chemia, biologia, scientia herbarum, zoologica, astronomia, geographia, ethnologia aliaque multa.



Ad argumentum anni praeteriti 'De mundi religionibus' multas symbolas iucundas de pluribus religionibus et de aspectis variis religionum accepimus, ut totus fere libellus hoc argumento compleri potuit. Speramus nos hoc anno quoque non pauciora opera a vobis composita accepturos! Maximas gratias iam in antecessum!

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

### Ad Theodicum Sacré versus in computatro conditi

Non mentem humanam laudo, quae tanta creare mira potest, sed Vim, qua mens humana creata est, Vim divam, ditem, cui gloria celsa perenni carmine debetur. Quid sum? Quid nos sumus omnes in terra nisi tot caeli fragmenta superba?

Iosephus Tusiani, Novi Eboraci, Calendis Februariis MMVI


Bene est, domine, quod non multas tui similes dii generi humano dederunt. Quippe, ad mediocritatem nati, magnis et excelsis animis obruimur. Ut supra homines homo aliquis existat, ceteros graviora pati necesse est.

### "PLUTOCRATIA"



Stella Gitta

### Europealia



Principium unitatis Europaeae ortum est post cladem alteri belli mundani, quo impediretur ne iterum concitari posset bellum civile Europaeum. Inter Europae patres paucos annos post ille dicebat: Si iterum in eo essem ut inceptum Europaeum susciperem, imprimis curarem res culturales». Areas imple! Hoc in ludo, areis umbratis ostenduntur litterae, quibus componentur praenomen nomenque illius Europae patris.

1. Urbs Estoniae, cum praeclara universitate Tartuensi anno MDCXXXII a rege Sueciae Gustavo Carolo condita

2. Sedes Unionis Europaeae et consilii secretariatusque generalis Consociationis ex pacto Atlantico septentrionali



3. Caput Lettoniae

4. Anno MCDLIX Imperium Ottomanicum civitatem adiunxit. Caput est Belgrada.

5. Civitas anno 1830 condita, cuius Zaire hodierna usque ad annum 1960<sup>um</sup> per octoginta annos colonia fuit.

6. Civitas, cuius caput hodie nomine Ljubljana (Aemona) est.

7. Praepositi huius territorii parvi saepe commutabantur: Burgundiones, Habsburgenses, imperatores Francogalli, Hispani, Nederlandi. In urbe capitali praecipue mensae argentariae inveniuntur.



8. Caput Lusitaniae, quod cecinit Fernando Pessoa.

9. Civitatem, cuius hymnus nationalis Oben am jungen Rhein nominatur, ad Austriam ac Helvetiam sitam regit Princeps Johannes-Adam II

10. Anno 1974 magnae mutationes politicae et sociales factae sunt, quibus civitas democratica constituta est et imperium illud colonicum finitum. Vinum vallis Durii fluminis toto in orbe celebratissimum est.

11. Civitas ex pascuis agrisque fertilibus constat, quae partim infra maris libram iacent et magnis aggeribus adversus inundationes proteguntur. Nota est cultura holerum floresque, quorum maxima pars in aedibus vitreis colitur.




12. Terra parva Europaea ad Mare Balticum, cuius caput est Revalia

13. Praecipui fontes oeconomici civitatis sunt res navicularia et periegesis. Nempe maximam classem mercatoriam privatam totius orbis possidet. Civitas maribus Aegaeo, Ionico et Cretico circumdatur et plus duo milia insularum numerantur.

14. Urbs, ubi Alfredus Nobel anno 1833 natus est

15. Civitas a nomadibus condita, quorum lingua non est indoeuropaea. Qui primum inter fluvios Borysthenes (Dniiper) et Tanais (Don) deinde in territorio occidentali hodiernae Ucrainae siti, gravi necessitate coacti, anno Christi 896 migraverunt ac regionem montibus Carpathicis cinctam occupaverunt.

16. Civitas et insula geographice in Asia sita, sed politice ad Europae nationes numeratur



17. Caput Slovaciae, hodie nomine Bratislava

18. In Æmilia caput provinciae est: mediae Padanae Planitiei et septemtrionalium Apenninorum partes comprehendit.

19. Caput Tzekiae hodiernae in quo Franciscus Kafka natus est

20. Antiquitus oppidum Ligures incolebant. Rupes colonia Romana facta est. Anno 1297 gens Grimaldorum rupis potita est.



21. Caput Norvegiae rex Harald III anno MXDVIII condidit

22. Reges civitatis iam primo tempore potestatem centram consolidaverunt. Sed illa magna rerum eversio anno 1789 facta tam politicos quam sociales effectus exerebat, quibus mundi quoque historia afficiebatur.

23. Saeculo XIII civitas pars imperii Suetici facta est; anno 1809 Russi eam occupaverunt. Omnibus nota sunt et carmen, quod Kalevala inscribitur, et balnea vaporea.

24. Constat ex paeninsula Iutlandia, ex insulis Selandia, Fionia et ex plus centum insulis minoribus

25. Caput Rei publicae foederalis Germaniae anno MCCXXXVII conditum, usque ad annum MCMXC in partes quattuor divisum

26. Pytheas Massiliensis primus Graecus erat qui insulam circumnavigavit et descriptionem civitatis fecit. Saeculo quinto Angli Saxonesque in eam venerunt, Britones Celtasque in montes occidentales et septentrionales depulerunt.

27. Hac in urbe sunt turris Eiffelis, Mons Parnassus, Campi Elysii

28. Caput Valloniae



29. Insula Lusitana princeps Ancipitrinarum, in qua vinum cultum est; in Lucania (Italia) provinciae caput

30. Caput Lituaniae hodiernae ubi anno MCCCXXIII Princeps Gediminas suum aedificavit

31. Anno MDXCVI Varsovia facta est urbs princeps regni

32. Civitas et insula in qua Ordo Hospitalis Medio aevo locavit. Hodie princeps civitatis est annis quinque electus praeses, qui imprimis munera repraesentativa habet. Insulae vicinae sunt Gozo et Cominum.

33. Capitalis urbs Hispana; Mantua Carpetanorum quoque vocata



34. Urbs aeterna

35. Tempore antiquitatis classicae imperium fuit. Aevo medio pars Imperii Germanici erat; postea dicionis Francogallica facta est civitas; denique complures civitates urbanae sui iuris factae sunt



Den Haag

36. Sedes administrationis Nederlandicae

37. Traditur caput Britanniae 43 a.Ch.n conditum esse. Aulus Plautius pontem primum aedificabat A.D. 50. Urbs crescebat. Secundo saeculo p. Ch. n. vallum aedificabatur.

38. Caput Daniae (Danice Kobenhavn sive Kobmandshavn, id est portus mercatorum) anno MCDXVII conditum in quo tertia paene pars omnium Danorum vivit.

Pater Europae:

30	8	38	26	11	25	2	12		32	17	37	22	6	10



## Nationum Europae sententiae et proverbia

Cum mors appropinquat, diviti nulla pecunia et pauperi  
nullum aes alie-num superest.



Estonia



Suetia

Omnia specula inutilia sunt, si nimis sero inspiciuntur.

\*

\*

Responsum bonum scit, quando sibi desinendum sit.



Italia

\*



Italia

Inter loquendum et agendum mare situm est.

\*

Nobis liberis terram sine lacrimis permittite!



Turcia

\*

Non mente, sed corde fortuna cognoscitur.



Norvegia

\*

Ea, quae ridendo perduntur, non recuperantur  
lacrimando.



Georgia

\*\*\*

Malis temporibus aquila apud gallinas hibernare coacta est.



Nigromontium

\*

Anima puellae silva obscura est.



Russia

\*

Res magnae silendo optime dicuntur.



Polonia

Ille, qui laborat, ab uno diabolo vexatur, ille,  
qui otiaur, a milibus.



Britannia

\*

Amatum onus dimidio pondere pendet.



Francogallia

\*

Negare comiter melius est quam invite dare.



Germania

\*

Deus sanat, medicus pecuniam accipit.



Lusitania

\*

Iram supprime, dum parva est.



Slovakia

\*

Gaudendi causam qui habet, ne expectet usque  
ad crastinum.



Germania

\*

Infantes pultem comedunt, liberi natu maiores corda  
parentum.



Tzechia

\*

Spectat amicus caput, inimicus pedes.



Turcia

\*

Homo hominis speculum.



Turcia

\*

Amicitia est vitae sal.




Germania

Latine tradidit Daniel Weissmann



## Quomodo homines educandi sint

In articulo qui inscribitur «oeconomia politica» adfirmat Russeus (J.-J. Rousseau, 1712-1778) educationem constare ex pietate in civitatem excitanda: «Si homines mature docentur nunquam se ipsos individuos considerare nisi utpote cum reipublicae corpore congruentes, neque suam propriam vitam, nisi tanquam illius vitae partem, ut ita dicam, novisse, tum demum poterunt hoc assequi ut in hoc maius corpus coalescant, et se quasi patriae membra sentiant, et eam illo amore diligant exquisito quo quilibet a caeteris seiunctus homo se ipsum solum fovere soleat, et suum animum semper in hoc excelsum attollant, denique periculosam illam inclinationem unde omnia vitia nostra orientur in sublimem quamdam virtutem commutent.



Non solum philosophia ostendit res posse ita verti; sed multa huiusmodi insignia exempla historia praebet; quae quidem ideo apud nos rara sunt quia nemo curat cives hic esse, nec cuiquam in mentem venit satis mature operam dare ut cives instituantur. Inclinationes nobis insitae, ubi decurrere coeperunt, et consuetudo apud hominem cum amore sui nimio coniuncta est, non iam mutari possunt; nec iam nos ex nobismet ipsis extrahere possumus, ubi primum amor sui unius in animo coactus hanc vilem agendi vim assecutus est qua omnis virtus hauritur et vita parvorum animorum tota agitur.




Quomodo inter tot cupiditates quibus comprimitur amor patriae oriri posset? Quid iam civibus tuis ex animo tuo superest qui inter et avaritiam et amicam et vanitatem distrahatur? Ab initio vitae discendum est merere vitam... »

Russeus etiam adfirmat educationem esse publicam rem. «Cum rationi uniuscuiusque hominis non concedatur sua officia arbitrio suo definire, ideo minus pueri



patrum prudentiae et falsis opinionibus tradendi sunt ut instituantur, quia ea institutio civitatis magis quam patrum refert... nam, secundum naturam, mors patri saepius novissimos illius institutionis fructus abscondit, quos contra patria aliquando experitur; manet enim civitas, familia dissolvitur.



Quod si potestas publica, dum loco patrum agit et gravissimum illud munus suscipit, iura eorum usurpat quorum officio fungitur, tum ideo minus patribus conqueri licet quod in hoc nomina tantum mutant, et communiter utpote cives eadem in pueros auctoritatem adhibebunt quam singulariter utpote patres exercebant; neque minus denique iis dicto parebitur nomine legis dicentibus quam cum nomine naturae dicebant.»

«Educatio publica,» Russeus ait, «ex regulis a principe praescriptis et sub magistratibus a domino institutis composita, est igitur unum inter praecipua placita quibus popularis aut legitima respublica nititur. Si pueri communiter aequis condicionibus educantur, si legibus publicis et praeceptis generalis voluntatis imbuuntur, si docentur ea supra omnia venerari, si denique exemplis et rebus circumdantur quae continuo commemorent teneram illam matrem unde alantur, et amorem quo illa eos foveat, et inaestimabilia bona quae ab ea accipiant, et gratiam quam ipsi illi debeant, tum pro certo habeamus fore ut discant se inter se mutuo et quasi fraterno amore diligere, et semper ea tantum velle quae civitas velit et more virorum ac civium, non sophistarum vanas et steriles nugae garrientium, agere, aliquando denique illius patriae propugnatores et patres fieri cuius tamdiu filii fuerint. »

Rettulit Stella Gitta

### PROPOSITIO ALCVINI: PROPOSITIO DE SAGO

Habeo sagum habentem in longitudine cubitos C, et in latitudine LXXX. Volo exinde per portiones sagulos facere, ita ut unaquaeque portio habeat in longitudine cubitos V, et in latitudine cubitos IIII. Dic, rogo, sapiens, quot saguli exinde fieri possint?

## Adoniorum tetrasticha ad scholas pertinentia

### Scholae genus, quod est in votis



Sit schola mentis  
dura palaestra:  
ne toleretur  
pravus alumnus!




### Scholae genus, quod nuper invaluit

Est schola nunc iam  
spurca taberna,  
res ubi nulla  
discitur alta.



### Mutatae vices



Pessima turba  
discipulorum  
iam dominatur:  
cede, magister!

### Tempora mutantur et studia

Tristia doctis  
fata libellis:  
vincit imago  
frivola ubique.



Orestes Carbonero

## Gasparis Murtulae (ca. 1570-1624) neniae tres soporiferae, quas proposuit Theodericus Sacré (I)

Gaspar Murtula sive Murtola, iurisconsultus Genuensis, omnia poesi sive Latinae sive Tuscae posthabebat. Itaque ineunte fere saeculo XVII Augustam Taurinorum allectus in aulam Caroli Emmanuelis, Sabaudiae ducis eius nominis primi, victum ille quidem amanuensis munere quaeritabat, quo apud eum principem fungebatur, at delectationem e Camenis hausit, quibus et dux ille admodum delectabatur. Familiaris ibi factus est Iohanni Baptistae Marino, poetae clarissimo, quicum de principatu litterarum mox contendere coepit. Itaque in alterum scribebat alter; quod autem Marinus certaminis huius litterarii victor discessurus esse videbatur, id tantopere est stomachatus Murtula, ut aemuli interficiendi ceperit consilium; quem interfecerat, nisi sclopo imperite usus alterum nescio quem virum occidisset. Nil mirum, si complures inde menses in carcere alsit. Dein in urbe Roma domicilium fixit, ubi Paulum, pontificem maximum eius nominis quintum (1605-1621), fautorem nactus satis feliciter satisque beate vixit idemque Musis indulgere perrexit, donec annus ibi eum 1624 e vivis sustulit. Edidit Italice *Mundi creationem* (Venetiis, 1608); conscripsit et ingentem Latinorum carminum numerum, quae viros doctos, qui nunc sunt, fere latent. Eminent inter ea neniae aliaque puerilia. In his autem Iohannem Iovianum Pontanum (1429-1503), divinum illum saeculi XV poetam Latinum, praeclare est imitatus<sup>1</sup>. De Murtula quid ipse censeam iudicemve, ambigo. Nam, cum ad numerum poematorum, quem divulgavit, respicio, facile fateor a Murtula victum ipsum Pontanum. Cum vero artem ipsam trutino, nullus dubito quin Murtulam facile vicerit Pontanus. Nam dum omnia ex ordine deinceps lego poematia, satiety fastidium quoddam mihi parit, qui sane magis admirarer viri ingenium atque artificium, eadem semper argumenta aliis verbis canentis, si limatos versiculos per-



Carolus  
Emmanuelis



Paulus V



Iohannis  
Iovianus  
Pontanus



politique composuisset. Nunc vero, etsi verborum sonorumque lusus delectationem aliquam habent admirationemque mihi interdum movent tot nomina deminuta totque verba iterativa, quae magnam ipse partem est fabricatus, tamen offendit me nonnumquam prosodia neglecta, morphologia parum emendata, syntaxis aliquatenus incorrecta. Poeta, si in vivis nunc esset, excusaret se incusans incuriam typographorum; ac recte quidem ille incusaret errorumque particulam eo modo excusaret; libro vero insunt menda ea quae nemo, dum iudex sit aequus, in typhothetas conferre ausit. Quod cum ita sit, dignus tamen est poeta qui ab oblivione tandem vindicetur et quasi Pontani proles quaedam in familiam poetarum neolatinorum admittatur in eaque suum obtineat locum.

*1. Fabellam lupi narrat suae infantulae<sup>2</sup>*

Te accubitum dum pono, puer, cito, pupule, dormi  
nec lacrima ex oculis defluat ulla tuis;  
nullus singultus, nullus vagitulus<sup>3</sup> ore  
erumpat sparso sparsus ad auriculas,  
ne te sentiscat quisquam, qui transeat, et te  
accuset dicens te puerum improbulum,  
ne lupus accedat... Scis quidnam contigit<sup>4</sup> illi,  
hinc dum<sup>5</sup> discessit, dum procul ivit heri?  
Dixi, dum fleres, illi me te esse daturam!



5

Audiit et credens constitit ante fores;  
et multum remoratus ibi, discessit inanis  
(nam nam dormisti tunc, bone pupe, mihi).  
Dein silvam repetens, fame<sup>6</sup> tunc correptus et ira  
uxoremque lupam cum lupulis<sup>7</sup> reperit.



10

Quae conspecta illum nec quicquam hunc ore ferentem  
increpitans dixit: "Quae tibi praeda hodie?"  
Respondit lupus huic ululans: "Muliercula quaedam  
delusit falsis me improba pollicitis.



15

Nam, dum vagiret puer hic infantulus, illum,  
saepe illum dixit se dare velle mihi.  
Ante fores ego permansi exspectando puellum,

20

sed numquam clausas pandidit<sup>8</sup> illa fores.  
Unde ad te redii nec quicquam luce lupavi<sup>9</sup> hac,  
et totus rabio, perditus et fameo<sup>10</sup>."  
Tunc lupa respondit: "Cras ambo rursus eamus  
et puerum e cunis subripiamus eum.  
Stabimus ante fores, sensim ingrediemur ad illos,  
cum quisquam exsiliat compareatque<sup>11</sup> foras."  
Hoc ego rescivi. Ac ideo portam undique clausam  
et bene clatratam vecte premo gemino.  
Non quisquam egreditur, clausus sed quilibet intus  
est: pater et mater cumque sorore avia,  
et Chremis ancilla et famulus quoque, blandula nutrix,  
cum baculo cunas quae adstitit<sup>12</sup> ante tuas.  
Ergo pavor nullus, nullusque metusculus<sup>13</sup> ergo,  
blande puer, cunis territet ora tibi.  
Ergo ne doleas, ne tristis fletulus<sup>14</sup> ore  
exeat et teneras perluat<sup>15</sup> imbre genas.  
Sed dormi, devincte levi, mellitule, somno,  
sed dormi somno, pupule, dulciculo.



25



30

35

40

<sup>1</sup> Cfr. Ianus Nicius Erythraeus, *Pinacotheca imaginum, illustrium, doctrinae vel ingenii laude, virorum, qui, auctore superstite, diem suum obierunt* (Coloniae Agrippinae, 1645), pp. 33-34; G. Ghilini, *Teatro d'huomini letterati* (...), II (Venetiis, 1647), pp. 104-105; R. Soprani, *Li scrittori della Liguria, e particolarmente della maritima* (Genuae, 1667), p. 112; G. Fulco, 'Giovanni Battista Marino', in E. Malato (ed.), *Storia della letteratura italiana, 5: La fine del Cinquecento e il Seicento* (Romae, 1997), pp. 597-652 (pp. 604 et 614-616); G. Jori, 'Poesia lirica "marinista" e "antimarinista" tra Classicismo et Barocco. Gabriello Chiabrera', *ibid.*, pp. 653-726 (pp. 680-681). *Locos quosdam e Murtula selectos attulerunt C. Ossola, L'animo in Barocco. Testi del Seicento italiano, I testi e le fonti, 1* (Augustae Taurinorum, 1995), pp. 15-30; 198-206, et *Anthologie de la poésie lyrique latine de la Renaissance. Textes présentés et traduits par P. Laurens, Collection Poésie, 392* (Parisiis, 2004), pp. 260-275; 421-422.

<sup>2</sup> Gasparis Murtolae theologi et iurisconsulti Genuensis ac a secretis olim Serenissimi Caroli Emmanuelis ducis Sabaudiae Elegantissimae naeniae (...) ad Illusterrimum et Reverendissimum Principem Ludovicum Ludovisium S(anctae) R(omanae) E(cclesiae) Cardinalem (...) (Maceratae, 1622), pp. 257-258 (naenia 157, fabella 2). Haec videtur esse editio quinta eademque auctior; usus sum exemplo quod Romae in Bibliotheca Angelica asservatur. Antea prodiisse videntur uno libro comprehensae

Pontani et Murtolae neniae (Maceratae, 1618 et fortasse Augustae Taurinorum 1606)

3 Vagitus (vox veteribus ignota) = vagitus.

4 Est interrogatio obliqua quae indicativum regit (ut saepius apud poetas).

5 Dum = cum, ut saepius apud scriptores recentiores. Cfr. etiam v. 9.

6 Fame admisit correpta syllaba posteriore, quae plerumque producitur.

7 Lupulus = lupus parvus (cfr. Thes. Ling. Lat., VII, 2, 2, p. 1851, ll. 81-83).

8 Pandidit = pandit; est et illa forma legitima (cfr. Thes. Ling. Lat., X, 1, 2, p. 193, ll. 11-14).

9 lupare (verbum veteribus ignotum) = luporum more praedari.

10 Famere (verbum veteribus ignotum) = famescere, esurire.

11 Compareat, correpta syllaba altera, quae solet produci.

12 Adstitit scripsi: adstitat ed.

13 Metusculus (nomen veteribus ignotum) = metus

14 Fletulus (nomen veteribus ignotum) = fletus.

15 Perluat scripsi: perluas ed.



Theodericus Sacré, Lovaniensis



## Facetiae



In supervenalicio adolescens, qui venditoris tirocinium agebat et olera in alto repositoio ponebat, e scabello delabatur. Itaque sub lactucis acervatis omnino immergitur. Tum lamentabili voce: «Num quis potest, inquit, mihi oleum et acetum praeberere?»

\*

Apud veterinarium telephonicus apparatus tinnit; mulieris angore oppressae vocem audit, quae in aparatu sic exclamat: «Doctor, respondere festina: nam maritus meus pro remediis suis ea remedia, quae pro cane nostro praeceperas, perperam sorbuit. Quid agamus?»



Tum veterinarius: «lube maritum tranquille cubare, sicut solet; credo nihil mali fore. Si tamen hac nocte pedes limini incutiat, ut foras ad mictionem eat, eum ambulatum adduc et bene cave, ne collum eius vinculo laedatur!».

\*

Puerulus patrem sic rogat: «Dic mihi, pater: Cur pisces muti sunt?» Pater respondet: «Mi fili, quam stultus es! Num tu loqui posses, si os tuum aqua repletum esset?»



\*


Apud chirurgum allatus est vir, qui et pedes ambos et brachia ambo fregit. Hoc chirurgus miratur et virum interrogat: «Quomodo corpus toties fregisti?»

Vir haec explanat: «In fabrica mea eram; sellam super mensam posui; deinde pulvinum super sellam addidi. Tunc conatus sum supra ascendere ut aliquid in summo positum caperem.»

At chirurgus eum iterum rogat: «Nonne facilius et securius fuisset scalis uti?»

Sed vir laesus: «Non poteram, inquit, quia scalas ipsas in summo positas capere volebam.»

\*



Sumptuosarum veterumque aedium domina famulam sic interpellat: «Miror equidem quod priore nocte nullum spectrum neque audii nec vidi: Num aedes nostras iam nullum spectrum frequentat?»

Tum famula simpliciter: «Nullum, inquit, his temporibus, domina. Nam militiam facit.»

\*

Vir aliquis ad medicum venit et ei dicit: «Doctor, quaedam uxoris meae amica allergia aegrotat propter vulpium pelles.»

Medicus sapienter respondet: Melius sit, si haec amica ipsa ad me consulendum veniat.»

Tum vir: «Revera non eam sanare volo, sed velim uxorem istius allergiae contagione affligi.»



Genovefa Immè

## **‘Mythi Dürrenmattensi’ in aedibus instituti Martini Bodmer**

Ante nonnullos annos in RUMORE VARIO illa celeberrima comoedia a Frederico Dürrenmatt composita titulo ‘Romulus Magnus’ edita est (pluribus partibus a libello 3/2001 ad libellum 5+6/2003) a Nicolao Gross ingeniosissime in Latinam versa.

Itaque fortasse iucunde est acceptu in vico Cologny apud Genavam sito expositionem esse titulo ‘Mythi Dürrenmattensi’.

Hac expositio est in aedibus instituti Martini Bodmer, via Guignard 19-20 (Fondation Martin Bodmer, 19-20 route du Guignard).

Dispositio expositionis, quae ad diem 12 mensis Martiis spectari potest, ab architecto celeberrimo Ticinensi Mario Botta facta est. Ita denuo varietas cultuum Helvetiae apparet.



Dürrenmatt originis Helvetiae Germanicae, natus anno 1921 in valle Emmae fluminis (Emmental), ab anno 1952 usque ad mortem anno 1990 Castelli Novi (Neuchâtel) vixit, in Helvetia Francogallica. In domo, qua Dürrenmatt vixerat, architectus Helvetiae Italicae Mario Botta anno 2000 Centrum Dürrenmattensem (Centre Dürrenmatt) instituit, 2003 museum novum



Pythia

Instituti Martini Bodmer, qui opera curat, quae testes sunt evolutionis cultus humani a principio usque ad aetatem nostram.



In concursione trium linguarum, cultuum, artium (scribere, aedificare, colligere) haec expositio se dedit mythis Frederici Dürrenmatt, in occurso et antiquitatis et praesentiae, in fictione nova Graecorum mythorum phantasia propria: Labyrinthus parabola universalis et fatum proprium fit. Minotaurus figura proprietatis non minuendae et solitudinis hominis, gaudio et desperatione motus saltans, Pythiae minae inter casum et amoris fatum, domus mente captorum, ubi omnes partes admissae sunt in anachronismo, qui theatrum ad absurdum ducit, allegoria auri et potestatis lumine apocalypsis.

Alia concursio: scribendi et pingendi et delineandi. Dürrenmatt per totam vitam in delineando et in pingendo ingenii vim et sollertiam pueritiae sentit. Picturae lineares Minotauri ante tractationem iteratam mythi factae et eam comitatae sunt. Qua de causa et picturae lineares et manuscripti auctoris in expositione indissolubilia coniuncta sunt. Mario Botta labyrinthum ex foliis in forma inductis nigris et albis ingeniose instituit, quae in altitudinibus variis suspensa sunt et per quae visitor it.



In Latinum vertit Daniel Weissmann

## **LUDICRA CAELICOLUM OBLECTAMENTA Pars tertia**

PUBLIA: ...Bene mecum agitur: qualibus in angustiis necopinato verseris, ne dissimulare quidem conaris; rubor iste, quo vultus tuus repente suffusus est, sermone omni significantior est habendus....

VALERIUS: Cuiam igitur ingens relictura es patrimonium?

PUBLIA: Patruelibus nempe fratribus, quibuscum sanguine saltem coniuncta sum.

VALERIUS: Nuptialibusne ergo deliciis in perpetuum carebis? An filiolos, qui in sinu tuo festiviter ludant, Lucina iuvante parere operae pretium esse negas?

PUBLIA: Cui natura noverca, non mater, exstitit, segregem sibi destinatum esse vitam probe iste novit. Non potest, tamquam ab institore merx, a robustiore masculo amor emi. Pro certo habeo te, sponsalibus vixdum celebratis, in scortilli lectum libi dinis exsaturandae gratia irrepsurum. Ceterum, quo tandem animo filios educem, quos patris erga genitricem contemptus nequaquam lateat? Quos maternae deformitatis suppuceat?

VALERIUS: Progredientibus, ut vulgo dicitur, temporibus debemus, quod tam contumaces factae sunt mulieres ac protervae! Quod parentum iussa, sive desiderata, non nauci habere didicerunt!

PUBLIA: Licet amarulenta mordacitate cavilleris, numquam mihi persuadebis ut hoc, quod tibi patefeci, consilium mutem. Aliam, sodes, cui verba des, candidiorem anquire sponsam; vel feminam assectare, quae aestuantis vulvae pruritus cohibere nequeat. Masculino ipsa mutone aequo animo, crede, carebo. *(e Valerii conspectu talibus editis verbis discedit).*

VALERIUS: In malam crucem abi, matura virgo praecoqui senio confecta, iniucundum foedumque naturae ludibrium! Quorsum res eruptura fuerit, si infausto te die uxorem duxissem, tremulo frigore quassus equidem horreo. Fato igitur Lucillam probabilissimam coniugem indicanti seduli obtemperemus! *(ad Suburram versus discedit).*

### Embolium caeleste

IUNO: Haud immerito vos monui, ut certaminis exitum inter spem ac metum dubii exspectaretis... Nolite oblivisci feminas quoque in hac fabula partes, et eas magni quidem momenti, agere!

CUPIDO: Palmam mihi assignandam esse solis ipsius luce evidentius patet ac manifestius. Amoris quam pecuniae cupidior, ad Lucillam Valerius iste modo se vertit.

Orestes Carbonero

Pars quarta in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius  
inscriptio cursualis supra indicata est  
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-  
ment für jemanden, dessen Adresse oben  
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-  
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-  
mentsrechnung ist zu senden an):

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS ECLECTICA  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex

PP/Journal

1218 Le Grand-Saconnex



2/2006

IDIBVS FEBRVARIIS

MMVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 28

FASC. 158